



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

Privilegium Qvo Rex Edgarvs Confirmat Dorobernensem ecclesiam
matrem esse & dominam aliarum ecclesiarum regni sui.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

 PRIVILEGIUM

QVO REX EDGARVS CONFIRMAT
 Dorobernensem ecclesiam matrem esse & dominam
 aliarum ecclesiarum regni sui.

ANNO dominicæ incarnationis 958. ego nempe Edgarus rex Anglorum, diuinaque concedente clementia monarchus, regum antiquorum Ethelberti & successorum illius ac archiepiscoporum Brythvaldi & Athelardi statuta & priuilegia monasteriorum Kancegenum cum venerabilis archipontificis Dunstani consultu atque consilio, ad maledictionem impiorum raptorum, imo magis Deo fauente ad beneuolentiam iustorumque benedictionem, æterna conclusione renouamus, & in Domino summo roboramus, statuentes,

Vt ecclesia Christi in Dorobernia aliarum ecclesiarum regni nostri mater sit & domina, & cum suis omnibus perpetualiter sit vbique libera præter expeditionem, pontis & arcis constructionem.

VITA

BENEDICTI PAPÆ V.

ANNO
 CHRISTI
 964.

BENEDICTVS ex Romanæ ecclesiæ diacono totius cleri & populi Romani vnanimi consensu in locum Ioannis XII. defuncti electus est anno Domini 964. tempore Ottonis & Nicephori imperatorum. Quo facto, cum Romani proceres contra datam fidem iuramento firmatam egissent, Otto imperator, inquit Luitprandus, collecta vndique secum fidelium suorum multitudine Romam adiit, & firma eam omni parte obsidione, ne quis pateret exitus, muniuit. Ciues vero hortatu Benedicti pontificis valde animati obsidionem tamdiu sustinuerunt, donec fame constricti ad Urbis deditionem cogerentur. Post Urbem captam, Benedicto Hamburgum relegato, in sedem eius pseudopontifex Leo quidam eius nominis octauus eleuatur, Pseudosynodus indicitur, vanæque

Concil. Tom. 25.

Qij